

- sed quid tu es tristis? *GE.* egone? nescis quō in metu et  
quanto in periculo simu'! *DA.* quid istuc est? *GE.* scies,  
modo ut tacere possis. *DA.* abī sis, insciens:
- 10 quoi(u)s tu fidem in pecunia perspexeris, 60  
verere verba eī credere, ubi quid mihi lucrīst  
te fallere? *GE.* ergo ausculta. *DA.* hanc operam tibi dico.  
*GE.* seni' nostri, Dave, fratrem maiorem Chremem  
nostin? *DA.* quidni? *GE.* quid? eiu' gnatum Phae-  
driam?
- 15 *DA.* tam quam te. *GE.* evenit senibus ambobus simul 65  
iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam  
ad hospitem antiquom. is senem per epistulas  
pellexit modo non montis auri pollicens.  
*DA.* quoi tanta erat res et supererat? *GE.* desinas:
- 20 sic est ingenium. *DA.* oh regem mē esse oportuit! 70  
*GE.* abeuntes ambo hic tum senes me filiis  
relinquont quasi magistrum. *DA.* o Geta, provinciam  
cepisti duram. *GE.* mi usu venit, hoc scio:  
memini relinqui me deo irato meo.
- 25 coepi advorsari primo: quid verbis opust? 75  
seni fideli' dum sum scapulas perdidi.  
*DA.* venere in mentem mi istaec: "namque inscitiast  
advorsu' stimulum calces." *GE.* coepi is omnia  
facere, obsequi quae vellent. *DA.* scisti uti foro.
- 30 *GE.* noster mali nil quicquam primo; hic Phaedria 80